

omnium malorum superbia ceterorumque vitiorum fomenta. Atque vos ipsi iudicate, si non ipsius famuli estis, cuius insignia et stigmata in vobismet ipsis geritis? Nam et me pudet dicere, dum penitet ^{w)} reticere, quoniam expectastis dulcedinem verbi et ego propino vobis generaliter amaritudinem redargutionis. Moneo etiam illum, si quis est in tota hac plebe, qui vel quinque solidos seu quippiam ad huius sancti martyris optulit ^{x)} reedificandam muneris (*fol. 229^r*) ecclesiam, quam prę oculis habetis, coram cunctis referat. Dum ergo non inveniretur, quisquam ^{y)} aliquid contulisse, rursus ait: „Videte fratres amantissimi ^{z)}, inter quas spinas atque incendia pessimorum hæc aula omnipotentis dei per fidem sui testis Benigni, ad quam elegantia ^{a)} excrevit ipso cooperante fastigia. Volo vos, si placet, assidue esse memores, quam velox uniuscuiusque ^{b)} sit mundanae curę et ambitionis depositio. Propter quod obsecro cum nostri auctoris adiutorio, resistite vitiis et maligno diabolo, virtutes quoque præclaras assumite et colite benignissimo deo conditori ac redemptori vestro ^{c)} in cunctis obaudite, qui vos per fidem et orationes ac merita omnium fidelium suorum dignos faciat introducendi ^{d)} cum eis in sempiternę glorię regnum per Iesum Christum, dilectum filium suum“ ³¹⁾. Dumque ille ista ^{e)} perorasset ac responsum ab omnibus fuisset: „Amen“, qui singultus, quantę lacrimę, qui gemitus per totam ecclesiam agebantur ^{f)}, exprimi non valet. Omnibusque rite perfectis cum gaudio quique rediere ad propria. Ex illo ^{g)} etenim die in eadem basilica precipue ad tumultum gloriosi martyris factę sunt multimodę curationes diversarum infirmitatum, quę etiam ob multiplicatam scribi nequeunt. Sed etsi quis cum fide plena sibi deposcens quęque ^{h)} utilia procul dubio adipiscitur, si talis sit, ut promereatur sanctorum meritis et orationibus ⁱ⁾).

XIII (*cap. 26*). Nec pretereundum nobis videtur, quod dum patris Willelmi alloquio multi fuerint in mente recreati, plures etiam in corpore tactu eiusdem redintegrati, oratione refocilati, visitatione confortati ac benedictione firmati ^{k)}. Et quanvis nunc minus audiat, quod olim

w) *Rasur zwischen p und e F (wie oben S. 467 w))*

x) *ob- aus op- F (vgl. S. 468 p) und r))*

y) *quispiam BM*

z) *dilectissimi R*

a) *quae elegantiae R*

b) *unicuique RBM*

c) *nostro KR*

d) *introeundi R*

e) *ita BM*

f) *agebantur ecclesiam RBM*

g) *illa R*

h) *quaecumque M*

i) *orationibus iuuari R*

k) *RBM, sunt vor firmati ü. d. Z. in F*

³¹⁾ Zu dieser Rede s. B u l s t S. 254 f. u. 88 f.